

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

Cl.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

defuturi officio. Bene vale, clarissime vir, cum uxore totaque familia & Collegis.  
 Scripsi Basil. 14. April. An. 72.

R. d. 1. 1611

S. Sulcerus.

Inscriptio.

Clarissimo viro, doctrina & pietate praestantissimo, D. D. Jacobo  
 Andrea, Sacrae Theologiae Doctori, Academiae Tubingensis Can-  
 cellario, Domino & fratri colendissimo & charissimo  
 suo.

CL.

Salutem in Domino.

Non dubito, Clarissime, doctissimeque, Vir, Domine frater in Christo honorando, quin Excellentia tua una nobiscum magno cum dolore indies percipias, quam male Wittebergenses Theologi in sinceræ doctrinae studio proficiant. Eo enim jam ventum est, ut etiam in articulo Cænae Dominicæ non modo vacillent, sed & non obscure Cinglianizent, doctrinamque de Majestate hominis Christi à D. Luthero, piæ memoriæ, D. Brentio, à tua etiam Excel. aliisque bonis & doctis viris explicatam, & sacris literis confirmatam, cum in aliis suis scriptis maledicis fæde, tum vero circa finem Dresdensis confessionis virulentissime proscindant. Quare non putarunt Domini Collegæ mei, injuriam tam atrocem veritati illatam, dissimilandam. Adornavimus igitur scripturam Apologeticam satis modestam, quo & veritas doctrinae cœlestis asseritur, & calumniæ diluuntur. Cum autem aliquandiu incertum esset, an id scriptum sine impedimento posset prodire in lucem, adornavi ego interea hæc, quæ mitto, scripta, non dissentientia à comuni nostro opere, sed tamen breviora, & ad docendos plane rudes accommodata. Id feci bono animo, ut simpliciores docerentur, & ut sana doctrina à calumniis vindicaretur, imprimis verò, ut serpenti Cinglianismo aliquod etiam impedimentum objicerem, quo minus multorum simplicium animos fascinaret. Utrumque placuit Dominis Professoribus, Theologis, in schola Tubingensi, & ædenda primo quoque tempore judicantur, sperantes non nihil utilitatis inde ad Ecclesiam rediturum.. Cum autem nostra Typographia aliàs jam male sit instructa, mortuo nimirum ante paucos menses ordinario typographo, Osvaldo Gruppenbachio, Georgii Gruppenbachii fratre, ita ut integro mente & eo amplius commune nostrum scriptum Tubingæ absolvi non possit, volui interea hæc occasione exemplar mei scripti ad Excel. tuam mittere, ut Exc. tua typis excudendum apud vos committeret. Erit id mihi vehementer gratum, præsertim si cæm-

si exemplaria multa in iis locis, ubi periculum est à Cinglianismo, distraherentur. Ac si ea res vobis aliquantulum incommodi allatura videretur, (quod ego quidem non puto) posset fortasse Typographi vestri nomen dissimulari. Sed hoc totum Exc. tuæ prudentiæ committo. Vehementer autem oro, Exc. tua det operam, ut typis, quamprimum fieri poterit, excudatur. Scio equidem, Ecclesiam DEi etiam sine mea opera constare posse, præsertim tot doctis libellis contra apertos & occultiores Cingianos dudum æditis, in quibus in primis etiam vestra scripta numero: sed tamen qualemcunque meam opellam pro virili ad conservationem sanæ doctrinæ conferre, & confessionem meam coram Ecclesia ædere volui. Quod meum pium studium, homine Christiano non indignum, spero Exc. tuam, pro pietate & humanitate sua eximia, libenter promoturam & adjuturam. Si quid erit, in quo meis officii Exc. tuæ veram animi gratitudinem declarare poterò, faciam id, Domino adjuvante, animo promptissimo. Bene & feliciter valeat Exc. tua, unà cum Dominis Collegis, clarissimis & doctissimis viris, quos reverenter ex me salutari peto. Data Studgardia, 14. Aprilis, Anno salutis 1572. Reverenter oro, ut Exc. tua prima quaque occasione rescribere non gravetur.

*Excell. tua*

*studioff.*

Lucas Osiander, D.

CII.

*Salutem in Domino.*

Quid agamus, aut quid patiamur potius, multorum sermonibus ad vos perferri credo, & vos ea causa vehementer sollicitos esse nihil dubito. Hero in progressionibus, autoritate Senatus, orationis consuetæ habendæ jus ereptum & Beuthero traditum est, qui paucas & malè consaccinatas Latinas periodos de scripto recitavit. Dasypodius, Sphæræ, Globi, Cosmographiæ, Logisticiæ ~~et cetera~~ ridicula edidit. Carolus Mügius oratione à Sturmio confecta prolixè laudatus est, credo nihil dignius laude istorum opinione eum fecisse, quam quod maxime necessario Scholæ tempore mortuus est. Conventus Scholasticus à progressionibus habitus, ad quem non modo ego & M. Florus, sed ne D. Planerus quidem & D. Giphanius vocati sunt. Tuppius Decanus creatus est, probante Magistratu. Herus Apologiam scripsit ad Senatū benè longam, qua istos homunciones, Dasypodium in primis, suis co-

lori